

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (4)

2.3.5. De eventibus inde ab anno 1887^o

2.3.5.1. De vita cottidiana deque progressu rerum

Interea in ipso loco Sanctae Ottiliae progressūs quōque facti sunt, et hōc quidem sub variis aspectibus. Imprimis numerus mulierum virorumque, qui quaeve societati se adiunxerunt, iam inde ex anno 1887^o auctus est. Tamen plures fratres laici erant quam sacerdotes, qui ingressi sunt.¹ Sed enthusiasmus missionarius illo tempore erat in Germaniā tam magnus, ut Ottiliani de hominibus, qui hac re attracti ad ipsos vērēerunt, generaliter queri non possent.

Status autem, quem fundatio Ottiliensis erga rem publicam habuit, in initio non erat alius ac status domūs Richopagensis. Nam officialiter percipiebatur ut consociatio privata. Eā de causā tantummodo necessarium erat, ut existentia instituti Ottiliensis apud magistratūs districtūs Landsbergensis indicanda esset. Hōc indicium P. Andreas Amrhein iam mense Ianuario a. 1887ⁱ annuntiavit et denique aestate a. 1887ⁱ statuta ad districtūs magistratūs Landsbergenses misit.² Magistratūs autem Landsbergenses ab initio in societate observandā indulgentiores atque affabiliores erant quam magistratūs Rote-genses.

Eā de causā Ottiliani etiam magis aperte vitam monasticam degere coeperunt. Nam unā ex parte professiones monasticae paulatim non solum foribus ec-

¹ Cfr Frumentius RENNER: *Der fünfarmige Leuchter*. I. St. Ottilien ²1979, pp. 132 sqq.; Bernita WALTER: *Von Gottes Treue getragen*. St. Ottilien 1985, pp. 101 sqq; Leander BOPP: *Andreas Amrhein O.S.B. Der Gründer der Benediktinerkongregation von St. Ottilien*. St. Ottilien 1954, pp. 179 sqq., qui statisticam praebet illorum, qui tempore P. ris Andreae Amrhein primam professionem exhibuerunt. Erant autem tres sacerdotes, triginta clerici atque duodeseptuaginta fratres laici. Tamen his in numeris respiciendum est non solum monachos vitā functos esse - imprimis in regione missionariā -, sed etiam quosdam societatem iterum reliquisse.

² Cfr Leander BOPP (1954), pp. 164 sq.; Viktor DAMMERTZ: *Die staatskirchenrechtliche Grundlegung der Kongregation von St. Ottilien*. In: Frumentius RENNER: *Leuchter I* (²1979), p. 343; Bernita WALTER (1985), p. 82. - Textus autem videtur, quod attinet ad argumenta, maximā ex parte idem fuisse ac in statutis Richopagensibus. Sed in «novis» statutis aetas illorum, qui candidati fieri voluerunt, mutata est et insuper sorores missionariae indicantur ut pars societatis.

clesiae clausis, sed etiam publice proferebantur,³ alterā ex parte inde ex die 15^o m. Aug. a. 1888^o Ottiliani scapulare⁴ publice gesserunt.⁵ Generaliter autem Ottiliani in cottidianā vitā internā regulam Sancti Benedicti atque praescripta constitutionum observaverunt. Tamen videntur his annis initialibus nondum omnia omnino exacte atque ordinatim acta esse,⁶ quamvis Ottilianorum disciplina atque bonus spiritus apud ipsos vigens semper laudaretur.⁷

Sed etiam condiciones externae his temporibus iam valde creverunt, et hōc quidem sub variis aspectibus. Cum numerus fratrum sororumque - uti iam breviter commemoratum est - continenter augetur,⁸ indigentia loci etiam

³ De tali sollemnitate iam anno 1890^o in periodico, q.e. «Infans paganus» [*«Das Heidenkind»*], fuse relatam esse scribit Leander BOPP (1954), p. 166. Tamen videntur magistratūs Landsbergenses de talibus similibusque rebus, quamvis manifestis, se nihil scire finxisse, ne Ottilianis difficultates praeberent. - *Cfr* etiam Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 132; Frumentius RENNERT: Die Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTHAL (edd.): Germania Benedictina. Bd. I. Die Reformverbände und Kongregationen der Benediktiner im Deutschen Sprachraum. St. Ottilien 1999, p. 801.

⁴ Scapulare est pars habitūs monastici, quod nonnullis in ordinibus monasticis est in ūsū et quod supra tunicam induitur.

⁵ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 166; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 134.

⁶ *Cfr* ex. gr. Leander BOPP (1954), pp. 198 sqq., qui fusius in singula problemata officii divini, manifestationibus conscientiae similibusque quaestionum incumbit.

⁷ Scitū dignum est Cyrillum WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, pp. 22 sq. opinionem suam protulisse, ad quid in patriā domus missionaria, et haec quidem ab Benedictinis instituta, utilis esset. Scripsit enim idem - quaerens, cur missionarii non statim in extraneam regionem missionariam irent - societatem missionariam indigere et sodalibus et pecuniā, atque hōc quidem non semel, sed continuo. Nam alumnos atque missionarios futuros erudiendos esse (ad quod etiam magistri speciales necessarii essent), ut ad munus suum apti essent, et probandos esse, num tale munus suscipere valerent. Talem vero eruditionem et tempore et pecuniā indigere, cum missionarii non solum multos varios labores exanclare, sed etiam in Domino maxime stabiliti esse deberent. Denique domum missionariam esse locum quōque receptionis recreationisque pro fratribus ex duro opere missionario fatigatis vel aegrotantibus vel aetate confectis. Praeterea domum missionariam officium habere, quo pro his similibusque rebus pecuniam necessariam acquireret. Nam perpetuitatem totius incepti esse respiciendam. - Similiter, sed brevius, iam Paulus SAUTER: Die St. Benediktus-Missions-Genossenschaft. Rückblick auf die ersten zehn Jahre. St. Ottilien 1894, p. 14.

⁸ Condiciones quasdam statisticas illius temporis enumerant ex. gr. Leander BOPP (1954), pp. 179 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 132 sq.

facta est quaestio urgens. Itaque primo reliqua aedificia vici Ambingensis paulatim coempta sunt, ita ut denique anno 1893^o totus vicus ad monasterium pertineret.⁹ Singula autem aedificia decursū temporis variis scopis destinata erant. Sed etiam aedificia omnino nova his annis iam exstructa sunt, ex quibus primum erat monasterium sororum, quod anno 1891^o confectum erat.¹⁰ Quamvis de novo aedificio monasterii virorum quōque iam antea cogitatum esset, tamen propter angustas mulierum condiciones locales earum aedificium primo curandum erat. Praeterea ab Congregatione de Propagandā Fide postulabatur, ut coetus sororum atque coetus fratrum magis separarentur.¹¹

Sed non solum aedificia erant alicuius momenti. Nam ad vitam omnium sustentandam oeconomia bona erat omnino necessaria. Tamen in initio haec res erat vere difficilis, cum qualitas agrorum pratorumque, quae ad monasterium Ottiliense pertinebant, esset varia atque satis mala. Quia autem magna pars fundi ex palustribus locis vastis constabat, Ottiliani excisione turfae¹² sive fomitis caespiticii aliquid ad vitam sustentandam attribuire conati sunt. Sed iam anno 1888^o turfam male vendi animadverterunt. Itaque maiore contentione virium in agros meliorandos extendendosque atque in vacchas colendas incumbendum erat.¹³ Sed effectūs hac in re solum lentissime et gradatim percipiebantur.¹⁴ Eā quōque de causā primis annis Ottiliensibus

⁹ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 174 sqq.; Frumentius RENNEN: Leuchter I (²1979), pp. 135 sq.; Maria HILDEBRANDT: Lebendige Steine. St. Ottilien 2008, pp. 24 sqq. - De his rebus fusius *cfr infra* cap. 2.3.7.

¹⁰ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 175 sqq.; Frumentius RENNEN: Leuchter I (²1979), pp. 137 sqq.; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 79 sqq.; Paulus WEISSENBARGER: Abt Plazidus Vogel und die Anfänge der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. *In*: Studia Suarzacensia. Würzburger Diözesangesichtsblätter 25, 1963, p. 274; Paulus SAUTER (1894), p. 14; Cyrill WEHRMEISTER (1939), p. 11; Bernita WALTER (1985), pp. 120 sqq. - De hac re fusius *cfr infra* cap. 2.3.7.

¹¹ *Cfr* Bernita WALTER (1985), p. 122.

¹² *Torf*. - *Cfr* DUCANGE: Glossarium mediae et infimae Latinitatis. Graz 1954. VIII, p. 210, p. 212: turba, -ae *f.* / turfa, -ae *f.*: Niger caespes, qui e terra palustri et bituminosa eruitur, et vicem carbonis praebet. - *Cfr* Christian HELFER: Lexicon Auxiliare. Saraviponti ³1991, p. 557.

¹³ *Cfr* Basilius KONRAD: Die Ökonomie der Benediktiner-Missionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1929, pp. 9 sq.; Frumentius RENNEN: Eresing mit St. Ottilien. *In*: Bernhard MÜLLER-HAHL (ed.): Heimatbuch für den Landkreis Landsberg am Lech mit Stadt und allen Gemeinden. Landsberg ²1982, p. 452; Bernita WALTER (1985), pp. 110 sq.

¹⁴ Oeconomia Ottiliensis dicitur denique inde ex anno 1902^o P.re Paulo Sauter curante revera magnos progressūs fecisse.

praeter alias condiciones satis duras etiam victus videtur satis parcus fuisse. Quamvis monachi Ottilienses vitam propriam, etiamsi parce, operibus manuum suarum - in oeconomia atque in variis opificinis - ipsi sustentare valerent, tamen ut scopos suos diversos multiplicesque ad effectum adducere possent, pecunia regulariter accepta erat necessaria. Itaque Pater Andreas Amrhein societatem condidit, cui titulus est «*Caritatis Opus Sancti Benedicti*». ¹⁵ Huic societati omnes homines adscribi potuerunt, qui operi missionario, id est Benedictinis missionariis erudiendis, aliquid contribuere voluerunt. ¹⁶ Episcopus Augustanus hanc societatem die 18^o m. Oct. a. 1887^o comprobavit. ¹⁷ Scopi autem officiales erant in eo, ut Benedictina monasteria missionaria in terris extraneis conderentur, et ut scholae, nosocomia, opificinae instituerentur, et ut alumni bonā indole praeditis, sed pauperibus locus eruditionis gratuitus praeberetur. In initio sodales huius societatis rogati sunt, ut singuli septimanatim unum penningum darent. Erat quidem singulis summa minima, sed ex magno numero sodalium, qui satis celeriter huic incepto favebant, nihilominus summa pecuniaria non neglegenda quotannis colligebatur. ¹⁸

Alia methodus, et haec quidem satis efficax, quā praeconia pro domo missionariā fierent, erant periodica quaedam. ¹⁹ Quibus scriptis non solum nuntii de missione Christianā atque de operibus Ottilianorum divulgarentur, sed etiam dona aliaque auxilia acquirerentur et imprimis homines invenirentur, qui in monasterium Ottiliense ingredi atque muneri missionario se tradere vellent.

¹⁵ «Liebeswerk vom Heiligen Benedikt».

¹⁶ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 208 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 128 et adn. 142; Paulus SAUTER (1894), p. 10; Cyrill WEHRMEISTER: Die Entwicklung der Erzabtei und der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, p. 154; Cyrill WEHRMEISTER (1939), p. 14; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 31.

¹⁷ Cfr Leander BOPP (1954), p. 208. - Videntur autem initia quaedam huius societatis iam tempore Richopagensi posita esse, quae tamen nondum ordinata erant. «Caritatis Opus» denique anno 1908^o societas inscripta reddita est. Eadem vero usque in hodiernum diem exstat.

¹⁸ Iam primis duobus annis numerus sodalium participantium usque ad centum milia auctus est. - Cfr Leander BOPP (1954), p. 209; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 128 adn. 142.

¹⁹ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 210 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 128 sqq.; Cyrill WEHRMEISTER (1928), p. 154; Cyrill WEHRMEISTER (1939), p. 13; Paulus SAUTER (1894), p. 10; Godfrey SIEBER (1992), p.22, p. 32.

Imprimis autem tria periodica nominanda sunt. Primo indicandum est periodicum, c.t. «*Infans paganicus*».²⁰ Hōc scriptum, quod praesertim spectabat ad iuventutem catholicam, inde ex anno 1888^o divulgatum est. Primus moderator erat Paulus Sauter.²¹ Videtur autem effectus huius periodici, quod attinet ad iuventutem attrahendam, vere bonus fuisse.

Eodem anno 1888^o conditum quōque est periodicum, c.t. «*Paginae missionariae Sanctae Ottiliae*».²² Hoc periodicum, quo imprimis relationes ex regionibus missionariis allatae divulgabantur, P. Andreas Amrhein ipse moderatus est. Verisimiliter eā de causā, cum īdem pluribus aliis laboribus obrutus esset, hōc periodicum non nimis regulariter editum est. Videntur autem «*Paginae missionariae*» iam anno 1889^o ut periodicum edi desitae esse, antequam anno 1897^o P. re Cyrillo Wehrmeister moderante denuo regulariter exhiberi coeptae sunt.²³

Tertium periodicum erat «*Calendarium Missionarium Sanctae Ottiliae*»,²⁴ quod etiam anno 1888^o edi coeptum est.²⁵ Continebantur autem eodem nuntii relationesque ex regione missionariā, quaedam ludicra atque narrationes, denique index mercatum atque praeconia.²⁶ Etiam hōc periodicum videtur vere efficax fuisse. Mittebatur vero quotannis magna pars editionis ad singulas dioeceses, ubi parochi venditionem atque distributionem susceperunt.²⁷

²⁰ «Heidenkind».

²¹ Paucis annis post eidem auxilium ferebat Maurus Hartmann, deinde Basilius Ferstl. Inde ab anno 1897^o Cyrillus Wehrmeister moderator huius periodici erat.

²² «Missionsblätter von St. Ottilien».

²³ Anno 1894^o duae editiones speciales separataeque praebebantur, nempe lucubratio Pauli Sauter «*De Consociatione Missionaria Sancti Benedicti. Respectus ad primos decem annos*» [«Die St. Benediktus-Missions-Genossenschaft. Rückblick auf die ersten zehn Jahre»]. (Cfr supra adn. 7), et deinde relatio Mauri Hartmann «*De itinere quodam periculoso in meridiem paganicum Praefecturae Apostolicae Zanguebariae Meridionalis facto*» [«Eine gefährvolle Reise in den heidnischen Süden der Apostolischen Präfektur Süd-Sansibar»].

²⁴ «Missionskalender St. Ottilien».

²⁵ Omnia tria periodica in initio in Ottiliensi typographeo proprio impressa sunt, usque dum īdem anno 1891^o dissolvebatur.

²⁶ Primus redactor Calendarii erat Otto Denk, vir quidam laicus, qui editionem primi anni curaverat.

²⁷ Scitu dignum est, quod Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), pp. 130 sq. cohaerentiam inter numerum exemplarium Calendarii, quae ad singulas dioeceses missa sunt, et provenientiam monachorum Ottiliensium quadamtenus statistice indicare conatur.

Anno 1892^o tamen Calendarium ad tempus quoddam edi desitum est.²⁸

Cum iam Richopagi sorores quaedam incepto P.ris Andreae Amrhein se adiunxerint, quae deinde unā cum fratribus ad Sanctam Ottiliam transmigraverunt, hōc in conexū etiam quaedam de primis annis sororum missionariorum dicenda sunt.

In initio sorores parte occidentali castelli Ambingensis usae sunt, ubi pedepianis culina atque cenatio sitae erant, in primo tabulato sororum oecus communis, conclave superiorissae, conclave aegrotis destinatum atque similia erant, et in tabulato subteglaneo sororum oecus dormitorium inveniebatur. Condicio quidem erat melior quam Richopagi, sed iam paulo post iterum angustiae quaedam animadvertebantur, cum numerus sororum continuo augeretur. In fine anni 1888ⁱ videntur iam triginta sex sorores candidataeque adfuisse.²⁹



Aedificium «Sanctae Annae».

Difficultates loci paululum levabantur, cum mense Iulio a. 1888ⁱ praedium Baderianum emeretur, in quod aedificium, quod postmodum «Sancta Anna» appellabatur, pars sororum deinde ad habitandum transmigravit.³⁰

Sororibus autem etiam plura multipliciaque officia erant. Nam ab initio culinam curabant, et pro semet ipsis et pro fratribus. Insuper in oeconomiam lactariam incubuerunt. Praeterea in agris colendis³¹ atque praesertim in hortis colendis munus quoddam habuerunt. Insuper lavandaria omnium sodalium curabant, ad quod officium etiam accessit, quod in vestimenta et reparanda et conficienda incumbebant.³² Conspicua autem est arta coniunctio inter consociationes mulierum atque virorum, quae in initio vigebat. Nam non solum missam sanctam communiter participaverunt, sed etiam festa communiter

²⁸ Anno 1901^o Cyrillus Wehrmeister rem deinde continuavit.

²⁹ Cfr Bernita WALTER (1985), p. 118.

³⁰ Cfr Bernita WALTER (1985), p. 117; Paulus SAUTER (1894), p. 17; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 58. - De hac re fusius *cfr infra* cap. 2.3.7.

³¹ Primo unā cum fratribus oeconomiam colebant, deinde cum aedificium monasteriale sororum exstaret, propriam oeconomiam separatam habebant.

³² Cfr Leander BOPP (1954), pp. 217 sq.; Bernita WALTER (1985), pp. 110 sqq.

celebraverunt (velut festum conditionis vel festa onomastica superiorum). Etiam quaedam consultationes instructivas fratres sororesque unā participaverunt. Tamen inde ex anno 1892^o res mutatae sunt et maior veraque separatio inter singulas consociationes instituebatur.³³

Quaedam incepta sororum, quae praeter labores multiplices incohata sunt et quae etiam ad proprium munus missionarium exercendum³⁴ spectabant, commemoranda sunt. Primum autem inceptum huiusmodi Tutzingae praeparabatur.³⁵ Nam Maria, Aemilia atque Bettina Ringseis, quae de domo missionariā Ottiliensi iam optime meritaerant, ibidem nepiagogium institui desiderabant.³⁶ Eaedem aedificium praebebant et iam mense Iunio a. 1887ⁱ paucae sorores ad rem praeparandam ibidem versabantur. Die 16^o m. Febr. a. 1888^o tres sorores definitive Tutzingam transmigraverunt. Tamen tota res quadamtenus erat tantummodo experimentum quoddam. Nam concilium oppidanum Tutzingense huic incepto non favebat. Propter has difficultates P. Andreas Amrhein mense Februario a. 1890ⁱ sorores Tutzingenses ad domum Ottiliensem revocare decrevit.

Alterum inceptum factum est ad nosocomium instituendum, id quod ab sororibus quoque generaliter desiderabatur. P. Andreas Amrhein anno 1889^o coniunctiones quasdam cum oppidulo Bendorf iuxta Rhenum sito inierat.³⁷ Cum oppidani ipsi iam pridem nosocomium ab sororibus ductum habere voluissent, villam quandam praebuerunt. Cum P. Andreas Amrhein, ut hoc aedificium sibi acquireret atque ibi sedem secundariam sororum instrueret, etiam aliquatenus paratus esset, consultationes de hac re instituendas curavit.³⁸ Catharina Scheins, superiorissa sororum, quae ad rem inspiciendam

³³ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 219; Bernita WALTER (1985), p. 111. - Dicitur P. Andreas Amrhein protulisse causam huius maioris separationis in eo fuisse, ne quis de artā coniunctione aliquid mali cogitaret.

³⁴ Tamen sorores quoque inde ab primā expeditione missionariā erant participes in Benedictinā missione Christianā instituendā. - *Cfr supra* cap. 2.3.3.2.

³⁵ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 221 sqq.; Bernita WALTER (1985), pp. 83 sqq.; Paulus SAUTER (1894), p. 15.

³⁶ Ut P. Andreas Amrhein nonnullis sororibus mittendis ad hoc desiderium explendum auxilium ferret, erat condicio, quā dominulae Ringseis pecuniam ad Ambingam emendam darent. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 221.

³⁷ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 223 sqq.; Bernita WALTER (1985), pp. 115 sqq. - Quomodo P. Andreas Amrhein hunc locum invenerit, non satis certo scitur.

³⁸ Ut Leander BOPP (1954), p. 222 scribit, P. Andreas Amrhein duas diversas causas exhibuit, cur alibi sedem secundariam sororum habere vellet. Erga Ottilianos enim dixit

illuc vecta erat, aedificium non ita aptum esse declaravit. Tamen P. Andreas Amrhein domum emit.³⁹ Itaque duo fratres illuc missi sunt, ut in aedificium transmutandum incumberent. Cum autem iidem aegrotarent, superiorissa unā cum quattuor sororibus Bendorfium vecta est, ut eos curaret, sed praesertim ut domum occuparet atque licentiā magistratuum acquisitā valetudinarium ibi institueret. Mentem ergo hac in re Catharina Scheins omnino mutavisse videtur. Nam tunc in oppido Bendorf non solum sedem secundariam sororum, immo ipsam domum matricem earum constituere voluit. Ad hoc scopum perpetrandum insuper summam libertatem agendi postulavit. P. Andreas Amrhein consultationibus cum nonnullis fratribus habitis licentiam, quā talia fieri possent, dare noluit. Nam timuit, ne arta cooperatio inter congregationem mulierum atque congregationem virorum, quae esset fundamentum prosperi progressūs in opere missionario, destrueretur.⁴⁰ Sed haec difficultas celeriter amota erat, cum P.ri Andreae Amrhein contingeret, ut illud aedificium magistratibus Bendorfiensibus venderet. Itaque sorores in initio mensis Iunii a. 1891ⁱ ad Sanctam Ottiliam reverterunt.

Tertium inceptum spectabat ad parvum orphanotropēum, quod mense Decembri a. 1891ⁱ institutum est. Tamen nimis multum de hac re non comperitur. Nihilominus idem usque ad annum 1896^{um} exstitisse videtur.⁴¹

Labores ergo sororum erant plurimi atque saepissime non ita faciles. Tamen satis multae mulieres attractae erant, ut huic consociationi sororum se adiungerent, etiamsi condiciones vivendi simplices pauperesque erant. Nihilominus aliud quōque problema exstitit. Nam etiamsi sorores magno entusiasmo affectae erant, multae domum missionariam iterum reliquerunt, quia duritiam atque magnam severitatem, quā superiorissa regnabat, sustinere non valuerunt.⁴²

se consociationes mulierum atque fratrum separare velle, quia utraque pars contra concordiam nimis peccavisset. Publice autem saepius protulit sororibus, antequam in missionem exteram proficiscerentur, possibilitas necessaria esset, quā curationem aegrotorum atque educationem infantium exercerent.

³⁹ Videtur idem ex causis iuridicis intricatis, quas antea non noverat, contractum emptionis, quem vicegerens quidam inierat, agnoscere coactus fuisse. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 223; Bernita WALTER (1985), p. 116.

⁴⁰ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 124 sq.; Bernita WALTER (1985), p. 116.

⁴¹ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 218; Bernita WALTER (1985), pp. 112 sq.

⁴² Leander BOPP (1954), p. 217 scriptum Dominici Enshoff afferens refert tertiam partem sororum, quae professionem iam exhibuerant, domum missionariam iterum reliquisse, et interrogat, quot candidatae tunc aufugerint. - De superiorissa paulo fusius *cfr infra*.

Prima autem sollemnitas professionis, quae spectabat ad sorores, in loco Ottiliensi die 26^o m. Maii a. 1890^o celebrata est.⁴³ Deinde scilicet hōc saepius factum est. Tamen sub aspectū rei publicae consociatio quōque sororum - sicut consociatio fratrum - tantummodo erat societas privata. Itaque etiam statuta huius consociationis muliebris magistratibus Landsbergensibus tradita sunt.⁴⁴ Quod autem attinet ad constitutiones monasticas, videntur condiciones vigentes illo tempore aliquatenus intricatae fuisse. Nam quamvis P. Andreas Amrhein saepius - interdum modo contradictorio - protulisset se in constitutionibus sororum conscribendis versari, tamen revera non multum effectum esse videtur. Nam harum constitutionum approbatio ecclesiastica denique anno 1924^o facta est.⁴⁵

2.3.5.2. *De eruditione «scholari»*

Specialis quaestio in monasterio Ottiliensi erat ab initio eruditio scholaris. Nam ex toto scopo semper necessitas sentiebatur, quā illi iuvenes virique, qui societati se adiunxerunt, ad munus suum speciale praepararentur. Iam Richopagi «institutiones scholares» exstiterunt, cum satis celeriter iuvenes in societatem recepti essent, qui quidem sacerdotes fieri voluerunt, sed quibus fundamenta ad studia suscipienda nondum erant. Tamen illae «institutiones» Richopagenses non potuerunt dici vera schola stricte dicta.⁴⁶ Nam instructio scholaris tantummodo iuxta labores cottidianos et itaque atque variis ex aliis causis modo non nimis amplo praebebatur. Nihilominus iam inde ex medio anno 1885^o duobus in cursibus quaedam disciplinae gymnasiales doceban-

⁴³ Cfr Bernita WALTER (1985), p. 119; Irmengard BACHEM: Mutter M. Birgitta Korff OSB. Erste Generaloberin der Missions-Benediktinerinnen von Tutzing. München 1938, p. 37; Leander BOPP (1954), p. 217, qui etiam suspicatur ab ipso episcopo hanc sollemnitatem concessam esse. - Ceterum ipsa superiorissa Catharina Scheins numquam professionem emisisse videtur. Cfr Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 272 adn. 36; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 209; Irmengard BACHEM (1938), p. 58.

⁴⁴ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 215 sq. - Postea P. Ludger Leonard aliquando haec statuta retractavit et die 24^o m. Oct. a. 1899^o ad repraesentantes rei publicae misit. Quae statuta denique die 13^o m. Iul. a. 1903^o officialiter comprobata sunt.

⁴⁵ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 214 sq., qui varios locos ex epistulis P. ris Andreae Amrhein depromptos affert atque totum conexum aliquatenus explicat.

⁴⁶ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 86 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 57 sq. et adn. 58; Narzissus HEFFELE: Die Missionsseminarien der Kongregation von St. Ottilien. In: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, p. 172; Gerhard HELLER: Succisa virescit. Geschichte des Gymnasiums St. Ottilien. St. Ottilien 2007, p. 13.

tur,⁴⁷ quamvis domus missionaria magnā indigentīā magistrorum laboraret. Ceterum officialiter agebatur de institutionibus privatis, quia licentia publica nondum exstitit. Demum mense Iunio a. 1886ⁱ P. Andreas Amrhein petitionem ad régimen Bavaricum direxit, quā rogavit, ut cursūs scholares in domo missionariā exhiberi licerent.⁴⁸ Tamen responsum positivum ad hanc petitionem non accepit.⁴⁹

Cum domus missionaria anno 1887^o in vicum Ambingensem Ottiliensemque transferretur, etiam septemdecim alumni unā cum reliquis sodalibus transmigraverunt.⁵⁰ Itaque in rebus quōque scholaribus ibīdem iterum initium faciendum erat. Sed in loco Ottiliensi primo eadem difficultates vigeant ac Richopagi. Nam unā ex parte discipulis quōque angustiae locales erant, alterā ex parte satis magnus numerus magistrorum specialiter eruditorum deerat.⁵¹ Praeterea etiam in domo missionariā Ottiliensi licentia publica ad scholam instituendam non exstitit. Itaque ibīdem quōque institutiones scholares ut privatae percipiebantur. Nihilominus differentia quaedam valebat, quae erat maioris momenti. Nam magistratūs Landsbergenses in domo missionariā et hunc in modum etiam in «scholā» observandā multo mitiores atque indulgentiores erant.

Itaque decursū temporis seminarium plus plusque instruebatur. Numerus

⁴⁷ *Cfr* Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 57; Leander BOPP (1954), p. 87; Frumentius RENNER: Zur Frühgeschichte der Seminarschule in St. Ottilien, pp. 1 sq. [Typoscriptum: ASO, A.7.1.2.]. - Videtur autem Magnus Fleschutz ex illo tempore linguam Latinam atque arithmeticam docuisse.

⁴⁸ *Cfr* Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), pp. 57 sq.; Leander BOPP (1954), p. 86 sqq., qui praeterea refert huic petitioni etiam adiunctum fuisse curriculum docendi, quo singulis disciplinis magistri quōque attribuebantur. Secundum hōc curriculum provisum erat, ut Dr Vilelmus Abel linguas Theodiscam atque Latinam in classibus quartā atque tertiā, linguam Francogallicam in classe tertiā et geographiam historiamque naturalem doceret, Magnus Fleschutz historiam biblicam, historiam mundanam atque linguam Latinam in classibus sextā atque quintā et arithmeticam doceret, P. Andreas Amrhein religionem, linguas Anglicam Francogallicamque in classe quartā doceret, Paulus Sauter res athleticas doceret et institutionem cantandi musicaeque instrumentalis magister superior Walderbachensis susciperet. Hōc propositum iam sonat ut initium veri gymnasii. Tamen hōc curriculum numquam in usū erat.

⁴⁹ Verisimiliter eā de causā, quia P. Andreas Amrhein consultationibus habitis mense Decembri a. 1886ⁱ hanc petitionem iterum retraxit. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 88.

⁵⁰ *Cfr* Narzissus HEFFELE (1928), p. 172; Gerhard HELLER (2007), p. 13.

⁵¹ De hac re atque de conaminibus P.ris Andreae Amrhein, quibus magistros quaereret, *cfr* ex. gr. Leander BOPP (1954), pp. 189 sq.

alumnorum paulatim augebatur, quā de causā discipuli propter angustias loci ad alia aedificia vici Ottiliensis transmigrare iterum iterumque coacti erant. Nam primo institutiones fiebant in domo Sancti Gabrielis, quae prius praedium rusticum fuerat. Inde ab anno 1891^o alumni in hospicio, quod antea fuerat caupona vici Ambingensis, docebantur, antequam anno 1893^o ad aedificium Sancti Michaelis transmigraverunt.⁵² Cum autumno anni 1894ⁱ hōc aedificium destrueretur,⁵³ ut nova domus discipulis aptior exaedificaretur, ipsi alumni in his operibus auxilium ferre debebant.⁵⁴

Cum numerus discipulorum cresceret, Ottiliani autumno anni 1893ⁱ studia gymnasialia in septem annos extendere decreverunt.⁵⁵ Inde ex anno 1891ⁱ etiam curriculum Bavaricorum gymnasiorum humanisticorum gradatim suscipiebatur.⁵⁶ Itaque sub scholae praefecto P.re Severino Hofbauer atque eius successore P.re Placido Vogel⁵⁷ pedetemptim Ottiliensis institutio scholaris denique ordinaria atque regularis appellari potest.⁵⁸

Cum schola Ottiliensis decursū annorum maioribus progressibus excelleret, revera necessarium factum erat, ut licentia rei publicae peteretur, quā institutiones scholares officialiter permitterentur.⁵⁹ Itaque P. Andreas Amrhein die 20^o m. Oct. a. 1894^o petitionem ad Landbergenses magistratūs districtūs

⁵² Cfr Leander BOPP (1954), p. 191; Gerhard HELLER (2007), p. 15; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 140; Antonia LEUGERS: Das Missionsseminar St. Ottilien. Von den Anfängen bis zur Aufhebung in der NS-Zeit. In: Norbert KÖSSINGER (ed.): Hrabanus Maurus. Profil eines europäischen Gelehrten. St. Ottilien 2008, p. 129.

⁵³ De conexū, quo hōc factum sit, *vide infra*.

⁵⁴ Erat autem diu mos in seminario Ottiliensi, quo alumni et ex necessitate et ex principio quodam didascalico etiam manibus propriis operari deberent.

⁵⁵ Cfr Leander BOPP (1954), p. 190; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 142; Gerhard HELLER (2007), p. 15; Antonia LEUGERS (2008), p. 130. - Ut Leander BOPP (1954), p. 190 refert, etiam decernebatur unumquemque discipulum omnes institutionis horas cursūs sui participare debere, sed non institutiones aliorum cursuum. Quod praescriptum nobis quidem per se intellegitur, sed videtur in seminario Ottiliensi propter speciales condiciones res aliter se habuisse.

⁵⁶ Cfr Gerhard HELLER (2007), p. 15.

⁵⁷ Placidus Vogel anno 1913^o primus abbas monasterii Suarzacensis electus est.

⁵⁸ Cfr Gerhard HELLER (2007), p. 15; Narzissus HEFFELE (1928), p. 172.

⁵⁹ De progrediendi modo miti indulgentiāque magistratuum Landsbergensium, cum agatur de Ottiliensi re scholari primorum annorum, quamvis satis manifestum fuerit, quid ibi fieret, cfr Leander BOPP (1954), pp. 191 sq.

misit, quā rogavit, ut privatum institutum scholare condere ei liceret.⁶⁰ Cui instituto nomen imponere voluit hoc: «*Puerorum seminarium Societatis missionariae Sancti Benedicti, institutum privatum*».⁶¹ Argumentum autem, quo hanc petitionem fulsit, erat in eo, quod sub aspectū eruditionis futurorum sacerdotum missionariorum propriam scholam missionariam instituere omnino necessarium esset, quia plures pluresque pueri apti recipi desiderarent, qui tamen studia gymnasialia demum incipere deberent. Régimen autem Bavaricum, ad quod haec petitio translata est, postulavit, ut docendi facultas magistrorum, qui in illā scholā docturi essent, ostenderetur sive dispensatio ab huiusmodi testimonio rogaretur. Supplemento petitionis die 18^o m. Nov. a. 1894^o misso P. Andreas Amrhein hōc postulatum explevit.⁶² Sed deinde de hac re per nonnullos annos non iam quicquam audiebatur.

Ceterum etiam quod attinet ad studia altiora, id est studia ad philosophiam atque theologiam spectantia, iam his annis mutatio quaedam facta est. Nam postquam primo tempore Ottiliensi clerici magnā ex parte talia studia in ipso loco Sanctae Ottiliae peregrisse videntur, putavit P. Andreas Amrhein non esse malum, si iidem studia sua in sacerdotali seminario Dillingensi absolvere possent. Cum episcopus Augustanus Pancratius von Dinkel de hac re interrogatus assensus esset, tantummodo quaestio mansit, ubi studentes Ottiliani habitarent. Tamen difficultatibus quibusdam superatis praebita est Ottilianis domus satis apta, quam die 15^o m. Oct. a. 1889^o ad usum acceperunt.⁶³ Primi fratres, qui ibīdem inter studia sua habitaverunt, erant Maurus Hartmann, Xaverius Baumann, Dominicus Enshoff, Franciscus Mayer et ut praefectus

⁶⁰ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 192 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 142 sq.; Antonia LEUGERS (2008), p. 126. - *Cfr* copia descripta huius petitionis invenitur in archivo Ottiliensi (ASO, A 7.1.2). Legitur autem ibīdem in paragrapho 4 a scholam missionariam Ottiliensem ex scopo suo speciali non spectare ad scholam publicam compensandam.

⁶¹ «Knabenseminar der St. Benediktus-Missionsgenossenschaft, Privatanstalt».

⁶² *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 193 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 142 sq. - Textūs epistolae regiminis atque supplementi inveniuntur in archivo Ottiliensi (ASO, A.7.1.2.).

⁶³ Haec domus pertinuerat ad institutum, in quo homines surdi mutique curabantur. Cum autem eadem illo tempore vacua esset, eius superiorissa hanc domum Ottilianis praebuit. Aedificium vero antea nomen Sancti Albani habuit, sed clerici Ottiliani propter diem, quo acceptum est, idem secundum Sanctam Theresiam appellaverunt. - *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 194 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 140 sq.

Lucas Nögl.⁶⁴

2.3.5.3. *De «pecunia collecta Epiphaniae» deque Consilio episcoporum*

Uti iam commemoratum est, in fine saeculi undevicesimi missio Christiana imprimis ab politicis atque ab regiminibus saepe sub aspectū nationalismi (interdum exaggerati) respiciebatur. Tamen haec condicio incepto P.ris Andreae Amrhein - ut vidimus - generaliter emolumenta praebuerat. Sed quia missio Christiana eiusque aspectus nationalis et in rebus politicis et in ecclesiis catholicā protestanticāque maioris momenti facta est, hic conexus etiam effectūs inopportunos atque partim periculosos in foundationem P.ris Andreae Amrhein exseruit. Difficultates autem, de quibus hic agitur, quaedamtenus incohabantur epistolā, quam papa Leo XIII die 20^o m. Apr. a. 1890^o ad archiepiscopum Coloniensem Philippum cardinalem Kremenz⁶⁵ direxerat.⁶⁶ Illā vero epistolā papa episcopos Germaniae adhortabatur, ut centrale institutum missionarium condendum curarent. Scripsit enim papa cum alia tum haec:⁶⁷

«Sollicitat modo Ecclesiae Pastores imprimis eorum conditio misera qui Africam incolentes, in servitutem redacti, venalis instar mercis mancipio dari et accipi solent turpi mercatorum quaestu. Quae Nobis huius rei cura sit, litteris Nostris aperte declaravimus. Quum itaque constitutum sit ab Imperiali Gubernio Germanico ut ad eas regiones Africae, quas patronatus iure tuetur, aditus pateat sacerdotibus Catholicis qui sacras missiones obeunt, facere non possumus quin Te aliosque Venerabiles Fratres qui Germanici Imperii dioecesibus praesunt etiam etiam hortemur, ut inquiratis sedulo an in Clero Germanico, qui egregia constantiae, patientiae et Apostolici zeli praebuit argumenta, aliqui videantur a Deo vocati ut afflictis illis

⁶⁴ Otiliani domo Sanctae Theresiae usque in annum 1901^{um} utebantur, antequam ad studia philosophica theologicaque Monacum transmigraverunt.

⁶⁵ Philippus cardinalis Kremenz erat archiepiscopus dioecēsis Coloniensis ab anno 1885^o usque ad annum 1899^{um} et insimul praeses consilii Fuldensis episcoporum Germanicorum.

⁶⁶ Cfr Leander BOPP (1954), p. 232; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 164 sqq.

⁶⁷ Textus originaliter Latinus. - Invenitur illa epistula, cuius primā parte agitur de condicione pauperum atque operariorum meliorandā, in periodico, quod est «Kirchlicher Anzeiger für die Erzdiözese Köln» 30/10, 1890, pp. 51-52. - Hōc in conexū gratiae plurimae mihi agenda sunt Prof.ri D.ri Raimundo [Reimund] Haas archivario consiliario superiori, qui in hōc documento inveniendo, quod in archivo historico archidioecesis Coloniensis asservatur, multum me adiuvit atque textum ad usum mihi praebuit.

Africae gentibus lucem inferant Evangelii. Quo facilius vero hi possint obsequi vocanti Deo, vehementer optamus ut Te imprimis curante aliisque Germanici Imperii Episcopis, collatisque fidelium studiis, Institutum condatur, quo Clerici indigenae rite comparentur ad sacras missiones, in Africa obeundas, ad instar Collegii in Belgico regno constituti, in quod ii recipiuntur qui evangelicum praeconium in regione Congi facturi sunt. Hoc pacto in promptu mox erit quasi nobile quoddam plantarium, unde excerpti palmites verae Vitis quae Christus est, et in Africam terram translati fructum plurimum afferent ac feras inter gentes barbarie foedas et peccatorum sordibus bonum Christi odorem effundent. Quamobrem Nobis pergratum facies, Venerabilis Frater, si de iis quae per has litteras significavimus alios Germanici Imperii Episcopos certiores fieri cures, unaque omnes collatis consiliis viribusque connitamini ut ea prospere perficiantur quae cum pro civibus vestris tum pro miseris Afris peragenda Tibi enixe commendavimus. Cumque eo felicius futura sit operis effectio quo plenior fuerit consensus vestra, supplices a Deo petimus vobis adsit ope consilioque suo, Eiusque divini favoris auspicem Apostolicam Benedictionem Tibi aliisque praedictis Venerabilibus Fratribus nec non Clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditae peramanter in Domino impertimus.»⁶⁸

His litteris acceptis cardinalis Philippus Kmentz die 29^o m. Apr. a. 1890^o epistulam circularem ad omnes Germaniae episcopos misit rogans, ut sententias suas de hac re proferrent. Magni autem momenti hōc in conexū est, quod archiepiscopus Monacensis Antonius von Thoma ut locutor omnium episcoporum Bavariae epistulam circularem ad reliquos Germaniae episcopos scripsit, quā demonstravit non esse necessarium, ut novum institutum conderetur, cum tale, quod a papa postulabatur, in domo missionariā Ottiliensi iam exstaret. Ibidem autem - ut scripsit - methodum, quā missionarii futuri erudirentur, esse vere aptam atque excellentem. Itaque cum initium huiusmodi instituti ab papa postulati iam positum esset, plus quam opportunum esse, si Germaniae episcopatus hanc domum iam existentem omnibus opibus suis promoveret atque adiuveret.⁶⁹

⁶⁸ Cum papa his litteris novum missionarium institutum in Germania instituendum desideraverit, Leander BOPP (1954), p. 232 suspicatur in Vaticano diffidentiam erga Ottiliensem domum missionariam exortam fuisse. Revera hoc postulatum quadamtenus mirum est, quia ipse papa domum missionariam Ottiliensem exsistere bene scivit atque Ottilianis iam regio missionaria tradita erat.

⁶⁹ Cfr Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 164 sq., qui quoque putat ex hac epistulā apparere Pancratium von Dinkel, fautorem Ottilianorum, verba ibidem prolata

Videtur autem haec deliberatio ab episcopis positive recepta esse, quā de causā haec quaestio de centrali instituto missionario condendo in praesenti non iam tam urgender disputabatur.⁷⁰ Tamen alio in conexū in hōc problema iterum incidemus.

Sed iam paucis mensibus post epistulam suam papa Leo XIII denuo in rebus missionariis, quae ei erant cordi, incitamenta nova praebuit decretaque exhibuit. Nam Leo XIII die 20^o m. Nov. a. 1890^o encyclicam divulgavit, quae inscribitur «*Catholicae Ecclesiae*»⁷¹ et quā agitur de meliorandā mutandāque miserrimā sorte hominum praesertim Africanorum, qui in servitute venditi libertatem suam amiserunt. Scripsit enim papa haec: «*Equidem cum ea scriberemus, vehementer commovebamur eorum conditione qui dominio subduntur alieno; at multo acerbius affecti sumus narratione aerumnarum, quibus conflictantur incolae universi regionum quarumdam Africae interioris. Miserum sane et horrendum memoratu est, quod certis nunciis accepimus, fere quadringenta Afrorum millia, nullo aetatis ac sexus discrimine, quotannis abripi per vim e rusticis pagis, unde catenus vincti ac caesi verberibus longo itinere trahuntur ad fora, ubi pecudum instar promercalium exhibentur ac veneunt.*»⁷² Itaque papae maximopere cordi erat illos homines in servitute redactos liberatum iri. Tamen tota res alium quōque aspectum habuit, nempe missionarium, de quo papa scripsit haec: «*At vero praeter tuendae libertatis curam, gravior alia pressius attingit apostolicum ministerium Nostrum, quod Nos curare iubet, ut in Africae regionibus propagetur Evangelii doctrina, quae illarum incolas sedentes in tenebris, a caeca superstitione offusis, illustret divinae veritatis luce, per quam nobiscum flant participes haereditatis Regni Dei. Id autem eo curamus enixius, quod illi, hac luce recepta, etiam humanae servitutis ab se iugum excutient.*»⁷³ Cum autem hōc opus tam amplum, grave ac magni momenti esset, papa putabat idem non solum hominibus impetū interno instigatis indigere, sed etiam pecuniā. Itaque

quadamtenus composuisse. Nam archiepiscopus nullam veram coniunctionem cum Ottilianis habuit, quā de causā eius scientia propria huius rei non satis magna fuisse potest.

⁷⁰ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), pp. 165 sq. - Leander BOPP (1954), p. 232 putat quidem tunc temporis hōc consilium prorsus abolitum fuisse, sed - ut infra videbimus - saltem apud episcopos Bavariae hōc propositum de centrali instituto missionario in memoria mansit.

⁷¹ Cfr ASS 23, 1890/91, pp. 257-260, ubi textus Latinus huius encyclicae divulgatus est.

⁷² ASS 23, 1890/91, pp. 257 sq.

⁷³ ASS 23, 1890/91, p. 258.

scribere perrexit hunc in modum: «*Placet autem Nobis, ut pecunia, praedicta die, collecta in ecclesiis et sacellis subiectis iurisdictioni tuae, Romam mittatur ad Sacrum Consilium Christiano nomini propagando. Huius porro munus erit partiendi eam pecuniam inter Missiones, quae ad delendam potissimum servitutem in Africae regionibus extant aut instituentur: cuius partitionis hic modus erit, ut pecunia profecta ex nationibus, quae suas habent catholicas missiones ad vindicandos in libertatem servos, ut memoravimus, istis missionibus sustentandis iuvandisque addicatur. Reliquam vero stipem idem Sacrum Consilium, cui earundem missionum necessitates compertae sunt, inter egentiores prudenti iudicio partietur.*»⁷⁴ Et denique declaravit haec: «*Propterea constituimus, ut quotannis, qua die in quibusque locis Epiphaniae Domini celebrantur mysteria, in subsidium memorati operis pecunia stipis instar corrogetur.*»⁷⁵

His papalibus litteris encyclicis iterum novus impulsus in rebus missionariis datus est. Tamen quādam verborum ambiguitate, ut nonnulli putant, difficultates quaedam exortae sunt. Nam videtur nonnullis contemporaneis non omnino clarum fuisse, num «Epiphaniae pecunia collecta», quae dicitur, tantummodo ad emancipationem servorum, id est ad eorum liberationem emptione factam spectaret an ab institutis missionariis eadem ad ipsam missionem Christianam sustentandam etiam paulo liberius adhiberi liceret.⁷⁶ Tamen cardinalis Miecislaus Ledóchowski,⁷⁷ qui die 26^o m. Ian. a. 1892^o

⁷⁴ ASS 23, 1890/91, p. 259.

⁷⁵ ASS 23, 1890/91, p. 260.

⁷⁶ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 167. - Tamen ex ipsis verbis papae videtur apparere secundum eius opinionem utramque rem - id est missionem Christianam et liberationem servorum - artē cohaerere. Cfr ex. gr. etiam sententia haec (ASS 23, 1890/91, p. 259): «... *per hoc temporarium ac peculiare subsidium, quod fideles conferunt ad inhumani commercii labem abolendam et sustentandos evangelii nuncios in locis ubi illud viget ...*»

⁷⁷ Mieczysław Ledóchowski anno 1822^o in Polonia natus (vitā functus anno 1902^o Romae) inter annos 1866^{um} et 1886^{um} erat archiepiscopus Gnesnae [*Gnesen*] Posniaeque [*Posen*]. Tempore conflictationis culturalis magnas difficultates cum regimine Borussico habuit, quia leges Maiales, quae dicuntur, resistentiā quādam neglexit. Eā de causā anno 1874^o in carcerem intrusus est. Anno 1875^o, cum adhuc incarceratus esset, ad dignitatem cardinalis evectus est. Cum in initio anni 1876ⁱ dimissus esset, Romam se contulit, ubi deinde variis muneribus maioris momenti functus est. Denique die 26^o m. Ian. a. 1892^o munus praefecti Congregationis de Propagandā Fide ei traditum est. - Cfr ex. gr. LThK 6, 1997, coll. 736 sq.; Barbara WOLF-DAHME: s.v. Ledóchowski, Mieczyslaw. In: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon IV, 1992, coll. 1335 sqq.

praefectus Congregationis de Propagandā Fide factus erat, unam solam interpretationem agnovit, nempe «Epiphaniae pecuniam collectam» tantummodo ad servos emptione liberandos adhiberi licere. Intellegi itaque potest domos missionarias, quae exstabant, sensibus quadamtenus mixtis hanc pecuniam accepisse.

Régimen autem Bavaricum officialiter concedere debuit, ut talis collectio pecuniaria in re publicā Bavaricā institueretur. Quod die 20^o m. Dec. a. 1890^o ita factum est, ut licentia ad tres annos sequentes valeret. Tamen régime Bavaricum licentiam solum praebuit sub hac condicione, ut tota summa pecuniaria, quae intra Bavariam colligeretur, tantummodo domui missionariae Ottiliensi traderetur.⁷⁸ Haec vero pecunia specialis primā vice anno 1891^o colligebatur.⁷⁹

Sed antequam pecunia collecta anni 1891ⁱ ad domum missionariam Ottiliensem pervēnit, quaedam aliae res sunt factae, quae non erant nullius momenti. Nam P. Andreas Amrhein, qui iam pridem tutelam iuridicam rei publicae foundationi suae acquirendam desideraverat, anno 1891^o novum impetum hac in re fecit.⁸⁰ Cum administer publicus Iohannes von Lutz, qui ad politicam



Cardinalis Miecislaus Ledóchowski
[Frumentius RENNER: Leuchter I

⁷⁸ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 233; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 167 sq.

⁷⁹ In Baviā videntur anno 1891^o circiter octoginta milia marcarum collecta esse, anno 1892^o sexaginta duo milia, annis 1894^o et 1895^o in summa circiter centum viginti milia marcarum. De anno 1893^o testimonia desunt. - *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 233; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 169; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 282.

⁸⁰ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 167 sq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 159 sqq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 276 sq.; Hans MAIER: Gründung des ersten deutschen Missionshauses in der Zeit des Kulturkampfes. *In*: Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige 95, 1984, p. 17; Viktor DAMMERTZ: Die staatskirchenrechtliche Grundlegung der Kongregation von St. Ottilien. *In*: Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 244.

factionem liberalem pertinebat et etiam in «conflictatione culturali» partem egerat,⁸¹ anno 1891° vitā functus esset atque eius successor in rebus culturalibus Dr Ludovicus Augustus [*Ludwig August*] von Müller bonus catholicus esset, P. Andreas Amrhein occasionem esse opportunam putavit, quā scopum suum perpetrare posset. Itaque die 23° m. Febr. a. 1891° P. Anderas Amrhein epistolam officialem ad D.rem von Müller direxit, quā continebatur relatio de «domo missionariā Ottiliensi» et petitio, quā rogavit, ut «*Sancti Benedicti Societati Missionariae ab illustri regali ministerio Bavarico qualitas religiosi ordinis regulae Sancti Benedicti benigne attribueretur.*»⁸²

Ex verbis autem huius petitionis perturbationes quaedam exortae sunt. Nam administer Dr von Müller textum eiusque conexum non plane intellexit, cum putaret rogatum esse, ut societas missionaria Ottiliensis, quae illo tempore iuridice erat societas privata, mutaretur in ordinem religiosum. Hac in re existimavit etiam alias quaestiones esse solvendas, quae in petitione non tangebantur. Eā de causā idem, cum illam petitionem non solum ad organa publica, sed etiam ad organa ecclesiastica spectare putaret, ad episcopum Augustanum Pancratium von Dinkel se convertit, qui tamen de hac petitione antea nihil sciverat. Sed episcopus quōque textum petitionis similiter intellexit, velut si P. Andreas Amrhein licentiam revera ab ecclesiā petendam ab re publica petere conatus esset. Itaque hic modus procedendi ei displicuit, quia - ut dixit - régime publicum alicui societati qualitatem ordinis religiosi attribuere non valeret. Sed quod attinet ad verum scopum P.ris Andreae Amrhein, uterque in errorem incidit, et hōc quidem eā de causā quia P. Amrhein petitionem suam verbis rei non ita aptis composuit, quae lectores facile male interpretari potuerunt.

Sed qui erat verus scopus huius petitionis? Cum P. Andreas Amrhein sciret societatem suam missionariam ab Vaticano agnitam esse ut «Consociationem Benedictinam», tantummodo voluit eandem sub aspectū iuris publici ad religiones pertinentis⁸³ ab re publicā Bavaricā similiter agnosci atque hunc in modum huic consociationi ius personae iuridicae collegialis⁸⁴ attribui.⁸⁵

⁸¹ *Cfr supra* cap. 2.2.3.1.

⁸² Verba originaliter Theodisca allata secundum Frumentium RENNER: Leuchter I (1979), p. 160. Etiam Viktor DAMMERTZ: Grundlegung (1979), p. 344.

⁸³ Ius publicum ad religiones pertinens: *Staatskirchenrecht*. Hōc iure continentur normae iuridicae ab re publicā positae, quae spectant ad statum iuridicum consociationum religiosarum.

⁸⁴ *Cfr* Iohannes Paulus BAUER: Lexicon terminorum iuridicorum et politicorum nostrae aetatis. Saarbrücken 2008, p. 281. - Persona iuridica collegialis [*Körperschaft*] est

Quamvis inter episcopum atque administrum publicum commercium epistulare, quo de petitione P.ris Andreae Amrhein agebatur, institueretur, tamen haec quaestio illo tempore non solvebatur atque in statu domus missionariae Ottiliensis tunc nihil mutabatur.

Tamen Ottiliensis condicio interna quoque inde ab anno 1891^o difficilior facta est. Nam P. Andreas Amrhein, cuius valetudo iam antea non omnino stabilita erat, insuper in depressionem animi incidit et magis magisque se recepit. Sentiebat enim vires suas corporales atque mentales non iam sufficere. Hoc quidem bene intellegi potest, cum cogitemus de plurimis laboribus, de curis, de vicissitudinibus, quae inde ex domo missionaria condita suscipiendae, sustinendae, superandae erant. Sed tali condicione depressiva P. Andreas Amrhein plures occasiones bonas neglexit atque praetermisit, quae incepto suo opportunae fuissent. Sic exempli gratia cum illa quaestio missionarii instituti centrali disputaretur atque episcopi Bavariae archiepiscopo Monacensi instigante Ottiliensem domum missionariam magis esse sustentandam existimarent, ipse P. Andreas Amrhein nihil fecit neque cum episcopis Bavariae reliquisque episcopis Germaniae contactum quaesivit. Haec omissio decursu temporis malum effectum habuit et postea ei etiam opprobrio data est, cum episcopi se praetermissos esse sentirent. Tamen actiones quasdam exhibuit, quae magis exteriores erant neque ad totum opus revera stabiliendum multum attribuerunt. Sic ex. gr. cum illis tribus pueris nigris, qui in domum missionariam Ottiliensem recipiebantur atque ibidem erudiebantur, itinera fecit, ut



*P. Andreas Amrhein
cum tribus iuvenibus nigris.
[Frumentius RENNER: Leuchter I
(²1979), p. B 1.]*

consociatio, cuius «corpus» constat ex singulis personis sive naturalibus sive iuridicis. Huiusmodi consociationis ordo consistit in sodalibus, eius existentia tamen non dependet ab condicione, qua certi sodales participant, sed manet etiam consociatio, si sodales mutantur.

⁸⁵ Cfr ex. gr. Leander BOPP (1954), p. 168; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 160.

eos atque effectum educationis monstraret et hunc in modum praeconia pro domo missionariā faceret.⁸⁶

Anno autem 1891^o videtur P. Andreas Amrhein crisim maiorem perpessus esse, quae praeter alia fortasse erat effectus omnium difficultatum, quae annis praeteritis superandae erant. Perpetuam contentionem virium atque responsalitem omnium rerum, quae cum fundatione suā cohaerebant, bene sustinere non iam potuisse videtur. Illo anno 1891^o putavit necessarium esse, ut psychiatrum consuleret.⁸⁷ Qui vero medicus ei suasit, ut laborem susciperet, quo recrearetur. Itaque die 5^o m. Iul. a. 1891^o epistulam ad episcopum Pancratium von Dinkel direxit, quā eum rogavit, ut munus consociationis regendae sive ad unum alterumve annum sive in perpetuum alii traderet.⁸⁸ Episcopus sollicitus quidem erat, sed his precibus P. ris Andreae Amrhein cessit et consultationibus habitis paulo post P. ri Mauro Hartmann subpriori régimen domūs missionariae tradidit eum vicegerentem P. ris Amrhein reddens.⁸⁹ Ipse autem P. Andreas Amrhein tempore insequente maximā ex parte incubuit in novum aedificium construendum exstruendumque, quod monasterium virorum futurum erat.⁹⁰

Revertamur autem iterum ad «pecuniam Epiphaniae collectam», quae anno 1891^o primā vice ab fidelibus catholicis rogabatur. Uti iam commemoratum est, huiusmodi pecunia, quae in Bavariā colligebatur, secundum voluntatem regiminis tantummodo domui missionariae Ottiliensi tradenda erat. Sed administratio quōque ecclesiastica in pecuniā distribuendā non praecipitanter egit. Cum autem usque ad finem anni 1891ⁱ pecunia in Bavariā collecta ad domum missionariam Ottiliensem nondum pervenisset, régimen Bavaricum iam intranquillum factum est. Sed medio mense Iunio a. 1892ⁱ nuntius apostolicus Monacensis regimini Bavarico indicavit, quae summa pecuniaria

⁸⁶ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 187; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 200 sq. - Illi pueri nigritae, quos officialis quidam Germanus secum in patriam attulerat, mense Augusto a. 1888ⁱ ad Ottilianos pervēnērunt, ut apud ipsos munus quoddam addicerent.

⁸⁷ Etiam annis insequentibus P. Andreas Amrhein propter nervos laesos viresque fractas psychiatrum adiit.

⁸⁸ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 248; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 203 sq.; Bernita WALTER (1985), p. 149; Suso BRECHTER: Beurons Beitrag zur Gründung von St. Ottilien. *In*: Virgil FIALA (ed.): Beuron. Festschrift zum hundertjährigen Bestehen der Erzabtei St. Martin, Beuron. Beuron 1963, pp. 261 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 279; Frumentius RENNER (1999), p. 801.

⁸⁹ In Annalibus Ottiliensibus legitur hoc iam die 13^o m. Iul. a. 1891^o factum esse.

⁹⁰ De hac re *cfr infra* cap. 2.3.7.

collecta esset, et eodem tempore videtur cardinalis Ledóchowski P.ri Andreae Amrhein nuntiavisse eum hanc pecuniam ab ipso accipere posse.⁹¹ Cum P. Andreas Amrhein illo tempore Romae versaretur, duobus diebus post pecuniam recepit.⁹² Tamen secundum voluntatem cardinalis Ledóchowski haec pecunia tantummodo ad servos liberandos erogari licuit et P. Andreas Amrhein de usū pecuniae regulariter rationem reddere debuit.⁹³

Pecunia autem anno 1892^o collecta etiam Ottilianis contributa est, sed deinde difficultates exortae sunt, quia unā ex parte Ottiliani non nimis magnos effectūs in servis emptione liberandis ostendere valuerunt, alterā ex parte quia P. Andreas Amrhein relationes suas obligatorias neque satis diligenter scripsisse neque easdem satis regulariter ad Congregationem de Propagandā Fide misisse videtur. Talis vero negligentia erat nociva, quamvis verisimiliter partim cum malā dispositione corporali atque psychicā P.ris Andreae Amrhein cohaesisset.

Tamen sequelae non nimis diu exspectandae erant. Nam cardinalis Ledóchowski videtur non satis contentus fuisse, quod attinet ad P.ris Andreae Amrhein administrationem pecuniae Ephiphaniae collectae, praeterea saepius querelas varii generis de ipso P.re Andrea Amrhein atque de superiorissa sororum perceperat. Ex his condicionibus diffidentia quaedam exorta est. Accessit, quod P. Andreas Amrhein cum apostolico nuntio Monacensi Andrea Aiuti relationes bonas non habuit. Itaque ipso cardinali instigante apostolicus nuntius Monacensis Andreas Aiuti diebus 23^o et 24^o m. Iun. a. 1894^o epistulas ad episcopum Augustanum direxit, quibus de sorte futurā domūs missionariae Ottiliensis mirum in modum decernebatur.⁹⁴

Propositum autem in eo constitit, ut domus missionaria Ottiliensis in posses-

⁹¹ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 233; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 168.

⁹² Cum Leander BOPP (1954), p. 233 referat P.rem Andream Amrhein ipsum hanc pecuniam collectam mense Iunio a. 1892ⁱ ab cardinali Ledóchowski accepisse, non ita bene intellegitur, cur régime Bavarium - ut Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 168 explicat - in fine anni 1892ⁱ reclamat se ab Ottilianis officialem nuntium de pecuniā translata nondum accepisse.

⁹³ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 233; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 169. - In archivo Ottiliensi inveniuntur nonnullae epistulae ab nuntio apostolico Monacensi ad P.rem Andream Amrhein directae, quibus agitur de pecuniā Ephiphaniae collectā ei tradendā (ASO, A.2.1.4.).

⁹⁴ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 233 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), pp. 172 sqq.; Viktor DAMMERTZ: Grundlegung (1979), pp. 344 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 288 sq.

sionem octo dioecesium Bavaricarum transiret. Itaque omnes octo episcopi Bavariae ius vigilantiae in domum missionariam haberent. De causa, cur tale ius haberent, in epistula legebantur haec: «*tum eo quod ipsa [Congregatio Benedictina] nulli Dioecesi pertineat quatenus memoratae Missionis Zanguebarensis ei sit cura, tum quia omnes singulae Dioeceses per Collectam diei Epiphaniae suum Obolum pro eadem Missione conferunt.*»⁹⁵ Ad administrationem vero facilitandam providebatur, ut Consilium quoddam, quod constaret ex tribus episcopis, nempe Augustano, Monacensi atque Bambergensi, hanc vigilantiam exerceret.⁹⁶ Etiam regulae atque constitutiones domūs missionariae Ottiliensis ab hōc Consilio episcoporum probandae erant. Quod attinebat ad superiorem societatis, Consilium Congregationi de Propagandā Fide illum proponeret, cui hōc munus suscipiendum esset. Sed īdem «*ab ipsa Congregatione nominationem et confirmationem accipiat, quique omnino erit ad nutum S. Congregationis.*»⁹⁷ Insuper domūs missionariae superiori tantummodo ad tres vel quinque annos munus traderetur.

Ex his postulatis apparet consilium in eo fuisse, ut fundamentum Benedictinum foundationis amoveretur atque societas moderna institueretur, quae Christianam missionem curaret atque stationes missionarias exterarum conderet.⁹⁸ Quod episcoporum Bavariae intererat hōc propositum ad effectum adducere, bene intellegendum est sub illo aspectū, quo minimis sumptibus votum papae, quod ad Germanicum seminarium missionarium spectabat,

⁹⁵ Verba originaliter Latina. Allata secundum Frumentium RENNER: Leuchter I (21979), p. 173.

⁹⁶ Hōc in conexū Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 173 adn.205 recte monet argumenta, quae spectant ad vigilantiae ius episcoporum Bavariae, non ita valere, quia domus missionaria Ottiliensis etiam magnum auxilium ab Germanicā Societate Africanā et generaliter ab catholicis Germanis acceperit. Sub hōc aspectū potius vigilantia omnium episcoporum Germaniae postulanda exspectandaque fuisset. - Ceterum in epistula nuntii apostolici etiam tractabatur quaestio, quid de possessione domūs missionariae Ottiliensis fieret, si eadem dissolveretur. Leguntur enim haec: «*Alia aliqua capita exaranda erunt in quibus agatur de proprietate et administratione bonorum temporalium, ac insimul stabiliatur praesertim eorum proprietatem Congregationi pertinere, non autem Superiori vel Superiorissae, eademque omnia bona si contigerit Congregationem S. ottilien dissolvi, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro Missionibus Africanis tradenda esse.*» (textus originaliter Latinus. - ASO, A.2.1.4.).

⁹⁷ Verba originaliter Latina. Afferuntur ab Frumentio RENNER: Leuchter I (21979), p. 173.

⁹⁸ Cfr Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 289; Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 175.

explere voluerunt.⁹⁹ Tota autem res pro fundatione Ottiliensi erat satis ambigua. Nam unā ex parte tutela episcoporum securitatem quandam praebere potuit, alterā ex parte institutum Ottiliense independentiam atque indolem suam amittere potuit. Nihilominus videtur periculum maius fuisse quam emolumentum.

Proposita autem vel potius postulata in epistulis nuntii apostolici exhibita, quibus Bavaricum seminarium missionarium institueretur, statim ad effectum adduci exspectabantur.¹⁰⁰ Cum vero fundatio Ottiliensis in dioecesi Augustanā sitā esset, episcopo Augustano officium traditum est, ut hanc rem curaret. Itaque Pancratius von Dinkel hōc munus suscepit, sed cum esset fautor et missionis Christianae et fundationis Ottiliensis, postulata exaggerata in epistulis nuntii apostolici exhibita mitigare atque modificare conatus est. Consultationibus atque commercio epistulari cum archiepiscopo Monacensi, cum episcopis Bavariae atque cum administro publico rei culturalis institutis Pancratius von Dinkel proposita sua exhibuit, quae etiam ab Ottilianis accipi posse desideravit.¹⁰¹ Quia praefectus Congregationis de Propagandā Fide totam transmutationem domūs missionariae satis celeriter transigi voluit, Pancratius von Dinkel iam mense Iunio a. 1894ⁱ P.rem Andream Amrhein rogavit, ut proposita sua constitutionis futurae exararet et deinde ad colloquium interrogatorium apud ipsum episcopum appareret. Tamen P. Andreas Amrhein rem aliquatenus procrastinavisse videtur.

Denique die 11^o m. Sept. a. 1894^o colloquium officiale de hōc themate inter episcopum Pancratium von Dinkel et P.rem Andream Amrhein institutum est, de quo colloquio etiam protocollum conscribatur.¹⁰² Legebantur autem

⁹⁹ Quamquam processus huius propositi in actis demum anno 1894^o manifesto modo apparet, videntur tamen consultationes atque deliberationes iam antea exstitisse. Sic ex. gr. in epistulā quādam Pancratii von Dinkel a. 1891^o ad Bavariae administrum rerum culturalium directā iam legitur episcopos Bavariae fundationem P.ris Andreae Amrhein ut institutum missionarium servare velle. (Cfr Frumentius RENNEN: Leuchter I (21979), p. 162). - Videntur quōque antea iam consultationes quaedam inter nuntium apostolicum atque archiepiscopum Monacensem institutas esse. (Cfr Frumentius RENNEN: Leuchter I (21979), p. 174 adn. 206).

¹⁰⁰ «*Haec invigilantia est sine mora et ad effectum deducenda, et quidem non solum de pecuniis ex collectione in festo Epiphaniae provenientibus, sed etiam ex eleemosynis ac donis fidelium per annum colligendis.*» (Textus originaliter Latinus. - ASO, A.2.1.4.).

¹⁰¹ Cfr Leander BOPP (1954), p. 234; Frumentius RENNEN: Leuchter I (21979), pp. 177 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 289.

¹⁰² Cfr Leander BOPP (1954), pp. 234 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 289 sq.; Viktor DAMMERTZ: Grundlegung (21979), pp. 345; Frumentius RENNEN: Leuchter I

praeter alia in hōc protocollō haec: domum missionariam, quae usque tunc secundum leges Bavaricas solum societas privata esset, iure personae iuridicae collegialis auctum iri; praeterea P.rem Andream Amrhein omnes possessiones domūs missionariae, id est fundum, aedificia, pecuniam, traditurum esse Bavarico instituto missionario ad Orientalem Africam Germanicam spectanti, quod sub titulo Societatis Missionariae Sancti Benedicti ut Congregatio ecclesiastica existeret; porro consilium vigilantiae institutum iri, quod constaret ex duobus Bavariae archiepiscopis atque episcopo Augustano; deinde domum missionariam non respici ut monasterium, sed ut congregationem; denique régimen internum, quod attineret ad eruditionem missionariorum, ad receptionem atque dimissionem sodalium, ad conditionem domorum secundariorum et sim., tantummodo pertinere ad superiorem generalem.¹⁰³

Mirum autem in modum P. Andreas Amrhein - ut etiam in protocollo legitur - his condicionibus «omnino» atque «cum gaudio» se subiecit. Talis vero subiectio non facile intellegitur, cum his praescriptis, si ad effectum adducta essent, domus missionaria Otiliensis non solum independentiam suam amisisset, sed etiam verum scopum P.ris Andreae Amrhein, id est monasterium condendi, in irritum cecidisset. Non autem est putandum P.rem Andream Amrhein perspectum non habuisse, quid talis transmutatio significavisset.¹⁰⁴

(²1979), pp. 179 sqq., qui adn. 212 etiam commemorat scopum verum protocolli atque locum, quo ĩdem dirigeretur, non esse clarum. Putat autem protocollum sive propter malam valetudinem episcopi non amplius esse tractatum sive ĩdem tantummodo ad acta ordinariatūs epsicopalis spectavisse.


¹⁰³ Cfr Leander BOPP (1954), pp. 234 sq.; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 289 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 179 sq., qui etiam ipsum textum protocolli affert.

¹⁰⁴ Et Leander BOPP (1954), pp. 234 sq. et Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 177 sq. adnotationes quasdam criticas afferunt, quae spectant ad totum propositum domūs missionariae transformandae, cum fuerit contradictorium neque in se consistens.

Alterā ex parte confratribus suis Ottilianis de sequelis severis huius colloquii cum episcopo habiti nihil rettulit, sed domum reversus solum de bono effectū consultationis narravit.¹⁰⁵ Insuper - quod similiter mirum est - P. Andreas



Vetus Ambingense castellum diruitur.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 13.]



Inscriptio, quae in reliqua castelli parte hodierna invenitur.

Amrhein novum impetum internum agendi accepisse videtur. Nam tribus diebus postquam protocollum subscripsit, id est die 14^o m. Sept. a. 1894^o, superior ex improvise confratres Ambingense castellum vetus diruere iussit, ut ante initium hiemis novum seminarium alumnorum exaedificandum incohari posset.¹⁰⁶ De novo aedificio

¹⁰⁵ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 181.

¹⁰⁶ Cfr Leander BOPP (1954), p. 178; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 167 sqq; Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 182, pp. 144 sq. et adn. 166, qui ibidem putat causam quandam huius actionis etiam in eo fuisse, quod P. Andreas Amrhein hunc in modum votum episcopi, quod ad futuros missionarios erudiendos spectabat, explere voluit. Tamen existimat solum ex hōc voto episcopali totam rem explicari non

seminarii quidem iam antea cogitatum erat,¹⁰⁷ tamen haec actio rapida sub aspectū omnium condicionum valentium atque incerti temporis futuri est quadamtenus perturbans.

Colloquium autem, quod P. Andreas Amrhein die 11^o m. Sept. a. 1894^o cum episcopo Augustano habuit, erat ultimum, quod inter ipsos institutum erat. Nam die 8^o m. Oct. a. 1894^o Pancratius von Dinkel, qui semper fautor be-



*Petrus von Hötzl,
episcopus Augustanus.
[Imago ex archivo Otiliensi
deprompta.]*

nignissimus domūs missionariae Otiliensis fuerat, vitā functus est. Quamvis pro Otilianis mors illius episcopi esset tristissima, tamen eā de causā totus processus, qui spectabat ad Consilium episcoporum atque ad transmutationem domūs missionariae, interruptus erat. Primo nihil fieri potuit, usque dum novus episcopus Augustanus, qui erat Petrus von Hötzl,¹⁰⁸ Kalendis Maiis a. 1895^o consecratus erat. Deinde episcopus aliis laboribus obligationibusque muneris sui occupatissimus hac in re nihil facere valuit. Primā autem vice episcopus Petrus von Hötzl institutum Otiliense visitavisse videtur die 12^o m. Aug. a. 1895^o. Nihilominus nuntius apostolicus Andreas Aiuti compluribus epistulis ad episcopum directis eius proposita in re Otiliensi admonuit.¹⁰⁹ Cum Petrus von Hötzl denique mense Februario a. 1896ⁱ cogitationes suas

de Consilio episcoporum conscriberet, cardinalis Ledóchowski propter res

posse.

¹⁰⁷ De hac re *cfr infra* cap. 2.3.7.

¹⁰⁸ Petrus von Hötzl anno 1836^o Monaci natus anno 1857^o in Monacense monasterium Franciscanorum ingressus est. Studiis theologiae philosophiaeque transactis anno 1860^o sacerdotio auctus est. Per plures annos Monaci praelectiones theologicas atque philosophicas ad sacerdotes futuros erudiendos habuit. Anno 1891^o provincialis ordinis Franciscanorum electus est, antequam mense Maio a. 1895ⁱ ab archiepiscopo Monacensi Antonio von Thoma episcopus Augustanus consecratus est.

¹⁰⁹ Leander BOPP (1954), p. 235 et Frumentius RENNERT: *Leuchter I* (1979), p. 184 commemorant epistulas diebus 12^o m. Aug. 1895^o, 5^o m. Oct. a. 1895^o, 18^o m. Ian. 1896^o scriptas.

interea actas opinionem iam mutaverat, propositum Bavarici seminarii missionarii omiserat et abbati primati Benedictinorum¹¹⁰ significaverat domum missionariam Ottiliensem esse rem ordinis Benedictinorum.¹¹¹

2.3.5.4. *De progressu missionis Africanae*

Supra iam audivimus difficultates in missione Africanā non solum ex conditionibus climatis, sed magnā ex parte propter quorundam praepositorum indoles non ita aptas esse exortas.¹¹² Tamen inde ex anno 1894^o tota res in

¹¹⁰ Anno 1893^o papa Leone XIII instigante Confoederatio Benedictinorum condita est, de quā re scripto papali die 12^o m. Iul. 1893^o dato refertur. Ibīdem leguntur cum alia tum haec (AAS 26, 1893/94, pp. 371 sqq.: «*Summum semper Nos tenuit studium Ordinis inclyti S. Benedicti, qui vitae sanctimonia omnisque humanitatis cultu maximis Ecclesiae et rei publicae temporibus utrique eximio fuit praesidio et ornamento. [...] Eo spectantibus Nobis adfuit tempestive operamque contulit adiutricem dilectus Filius Noster Ioseph Benedictus S.R.E. Cardinalis Dusmet, qui desideriis Nostris religiose obsequutus nuper, arcessentibus nobis, ad Urbem venit, ut primum poneret lapidem Collegii S. Anselmi in Aventino monte extruendi, et conventui praeesset Abbatum virorumque delegatorum, quos atratos vocant, familiis. Cuius conventus indicendi ea ratio fuerat ut collatis consiliis de iis rebus ageretur quae ad communes pertinerent universi Ordinis rationes et utilitates, praesertim vero ut fraterna fieret consociatio, quasi icto foedere, quae Familias omnes quibus idem Ordo constat, nexu suavi caritatis mutuae contineret. [...] Nostraque auctoritate Apostolica probare et confirmare statuimus scita et placita praedictorum Abbatum et Delegatorum ita conceptis verbis expressa: «1. Omnes Congregationes Benedictinorum, quos nigros vocant, veram fraternam Confoederationem ineunt, quae tamen Confoederatio nullam Congregationem alteri subiicit. Ut autem Confoederatio haec unitatem aliquam habeat, firmis manentibus omnium Benedictinorum, quos diximus, Congregationibus; earumque Constitutionibus vel declarationibus; propriisque unicuique Archiabbate, vel Abbate generali, Abbate Praeside, nec non et Procuratore generali ac Visitoribus servatis; item firmis manentibus iuribus atque privilegiis uniuscuiusque monasterii, Abbas Primas omnium Congregationum creabitur, qui Romae degat pro negotiis totius Ordinis bonum directe respicientibus. 2. Abbas Primas assumatur ex universo corpore Congregationum, nullo facto nationum discrimine, nullaque servata eorundem Congregationum distinctione sed sola virtutis, idoneitatis et meritorum contemplatione. [...]» [...] Praeterea cum iuxta statuta et decreta praedicta quae confirmavimus, confoederationi Familiarum Benedictinorum atrorum praeficiendus sit Abbas Primas, qui simul futurus sit Abbas Collegii S. Anselmi de Urbe, hac prima vice, motu proprio et auctoritate nostra, Primatem, adeoque Abbatem S. Anselmi eligimus et constituimus dilectum Filium Hildebrandum Hemptinne Abbatem Maredsoliensem ex Congregatione Beuronensi, cuius officium a Nobis collatum tamdiu sit duraturum, quamdiu Nobis et Nostris in hac Sancta Sede successoribus placuerit [...].»*

¹¹¹ Cfr Frumentius RENNERT: *Leuchter I* (1979), p. 184.

¹¹² Cfr *supra* cap. 2.3.3.3.

melius mutata est. Nam cum in ipso monasterio Ottiliensi numerus sacerdotum paulatim augetur, fieri potuit, ut P. Andreas Amrhein novum praepositum missionarium in Africam mitteret. Ad hoc officium suscipiendum P. rem Maurum Hartmann¹¹³ elegit, qui illo tempore munere prioris Ottiliensis functus est. P. Maurus Hartmann die 26^o m. Maii a. 1894^o unā cum quattuor fratribus atque sex sororibus in Africam missus est.¹¹⁴ Ex decreto autem Vaticano¹¹⁵ P. Maurus Hartmann factus est Praefectus Apostolicus Zanguebariae Meridionalis.¹¹⁶

Postquam novus Praefectus Apostolicus die 28^o m. Iun. a. 1894^o in urbem Daressalam advēnit, satis celeriter agere, condiciones ordinare atque in missionem extendendam incumbere coepit. Primo omnium iam mense Junio a. 1894ⁱ idem decrevit monasterium virorum atque oecotropheum puerorum ex urbe Daressalam transponenda esse ad praedium Kurasani, quod itinere circiter unius horae ab urbe distabat. Ibīdem ergo statio missionaria condita

¹¹³ Maurus Hartmann, cuius nomen baptismale erat Franciscus Xaverius [*Franz Xaver*] die 21^o m. Nov. a. 1865^o in vico quodam iuxta oppidum Esconem [*Markt Oberdorf*] sito natus est. Gymnasio anno 1887^o superato mense Septembri eiusdem anni foundationi P. ris Andreae Amrhein se adiunxit. Iam die 2^o m. Aug. a. 1890^o Maurus Hartmann sacerdotio auctus est. Eodem autem anno munus subprioris suscepit, deinde prior factus est atque P. re Andrea Amrhein absente eius vices gessit. Illo tempore praeter alia etiam in alumnis instituendis operabatur. Dicitur vero P. Maurus multum ab aliis postulavisse, tamen nihil, quod non ipse quōque facere paratus erat. P. Maurus Hartmann vitā functus est die 20^o m. Aug. a. 1905^o in Africano vico Madibira. - De eius vitā *cfr* ex. gr. breviter Leander BOPP: Die ersten fünfzehn Jahre unserer Missionstätigkeit in Ostafrika 1887-1902. St Ottilien 1956 [typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum], pp. 58 sq.; fusius Leander BOPP: P. Maurus Hartmann O.S.B. *In*: Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben. Bd. 5 (ed. Götz von PÖLNITZ). München 1956, pp. 399 sqq.

¹¹⁴ *Cfr* Leander BOPP (1956), p. 59; Leander BOPP: Lebensbilder (1956), p. 407; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 156; Siegfried HERTLEIN: Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. Idee und Wirklichkeit. *In*: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.): Zukunft aus empfangenem Erbe. St. Ottilien 1983, p. 92; Frumentius RENNERT: Die Benediktinermision in Ostafrika - eine Übersicht. *In*: Frumentius RENNERT (ed.): Der fünfarmige Leuchter. Bd. II. St. Ottilien ²1992, p. 131; Paulus SAUTER (1894), p. 19; Cyrill WEHRMEISTER (1939), p. 45.

¹¹⁵ Hoc decretum Kalendis Iuliis a. 1894ⁱ signatum est.

¹¹⁶ Hōc in conexū Leander BOPP (1956), pp. 61 sqq. nonnullis exemplis adhibitis explicat P. rem Andreā Amrhein perceptionem non ita convenientem habuisse, quod attinebat ad statum suum atque ius suum directorium erga Praefectum Apostolicum atque in rebus, quae in ipsā regione missionariā fiebant.

est, cui praeerat P. Cassianus Spiss. Ipse P. Maurus Hartmann in loco Kurasani per duos annos principalem suam sedem habitandi instituit.¹¹⁷

Cum autem ipsa missio Christiana P.ri Mauro Hartmann esset maximi momenti, etiam de novis foundationibus cogitavit. Ut loca ad hunc scopum apta inveniret, plura itinera in interiorem partem Praefecturae suae suscepit. Primum iter huiusmodi videtur non ita efficax fuisse, sed secundo itinere, quod inter mensem Septembrem atquem mensem Novembrem a. 1894ⁱ fecit, adductus est, ut non longe ab oppido Lundi stationem Pilipili nominatam condendam curaret. Prima aedificia ibidem iam erant exstructa, cum ex patriā Ottiliensi iussum afferretur hanc stationem esse abolendam atque aliam magis in interiore parte regionis esse condendam.¹¹⁸ Quamvis omnes valde dolerent, tamen oboediverunt. Prima autem statio, quae definitive condita est, erat effectus tertii itineris mense Ianuario a. 1895ⁱ facti.



Nam ab incolis rogati Ottiliani die 2^o m. Febr. a. 1895^o stationem Lukuledi instituerunt.¹¹⁹ *P. Maurus Hartmann* [Frumentius RENNER: *Leuchter II*

Ad hanc actuositatem intellegendam respiciendum est, quid P. Maurus Hartmann de methodo missionariā cogitaverit. Nam missionarios Anglicanos observans scripsit haec: «Angli [...], ut mihi videtur, methodum vere practi-

¹¹⁷ Cfr Leander BOPP (1956), pp. 64 sqq.; Frumentius RENNER: *Leuchter II* (2^o1992), p. 132; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 93. - De hac re atque de condicionibus, quae illis annis in Africanā regione missionariā vigeabant, cfr recordationes F.ris Michaelis Hofer, qui unus ex primis iam tempore Richopagensi foundationi se adiunxerat. Excerpta ex eius recordationibus deprompta cfr *Jubiläums-Missionskalender* 81, 1984, pp. 43 sqq., pp. 74 sqq. - Statio Kurasani, quae hodiernis temporibus est pars urbis Daressalam, adhuc exstat ut procura missionaria, quae dicitur. - Cfr *Missionsbenediktiner. Ein Klosterführer durch vier Kontinente. St. Ottilien* 2008, p. 89.

¹¹⁸ Cfr Leander BOPP (1956), p. 71; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 94.

¹¹⁹ Cfr Leander BOPP (1956), pp. 71 sqq.; Leander BOPP: *Lebensbilder* (1956), p. 409; Frumentius RENNER: *Leuchter II* (2^o1992), p. 132; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 94; Bernita WALTER: *Missionsbenediktinerinnen von Tutzing 1885-1960. Tutzing* 1960, p. 4. - Superiorissa sororum, quae in statione Lukuledi operabatur, erat Sr. Birgitta Korff, quae postmodum superiorissa omnium sororum Ottiliensium sive Tutzingensium electa est (de hac re *vide infra*).

cam sequuntur. Stationes principales non nimis longe distantes instituunt atque in omnibus vicis interpositis domos filias. Hunc in modum efficiunt, ut totum territorium magnum tamquam aliquo reti circumdetur atque auctoritati ipsorum acquiratur. [...] Haec methodus, qua non solum singulae stationes conduntur, sed tota regio in spatium missionarium trahitur, mihi videtur vere practica atque imitabilis.»¹²⁰

Cum P. Maurus Hartmann hanc methodum quadamtenus susciperet,¹²¹ Praefecturam suam missioni Christianae efficaciter aperire conatus est. Tamen hunc in modum perceptionem missionariam P. ris Andreae Amrhein, quā idem imprimis vera monasteria esse condenda putavit, atque eius mandata hac in re non est secutus. Existimavit enim P. Maurus Hartmann tempus ad tot monasteria condenda nondum esse maturum, cum inprimis etiam numerus monachorum non sufficeret. Tamen haec quaestio methodi missionariae atque modi progrediendi diutius mansit causa dissensionis et inter ipsos monachos Ottilianos et inter superiores in patriā agentes atque responsales regionis missionariae.¹²²

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 178, 2009, 507-536]

¹²⁰ Textus originaliter Theodiscus. - Verba, quae ex libro Mauri Hartmann, cui titulus est «De itinere periculoso in meridiem paganicum Apostolicae Praefecturae Zanguebariae Meridionalis facto» [«Eine gefährvolle Reise in den heidnischen Süden der Apostolischen Präfektur Süd-Sansibar»], sunt deprompta, affert Siegfried HERTLEIN (1983), p. 93.

¹²¹ Conditae etiam sunt ex. gr. stationes Nyangao (1896), Tossamaganga (1897), Madibira (1897), Peramiho (1898). - Cfr Leander BOPP (1956), pp. 74 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter II (²1992), p. 132; Bernita WALTER (1960), pp. 4 sqq.; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 94; Missionsbenediktiner (2008), p. 101.

¹²² De hac quaestione *vide etiam infra*.